MATUTINALE CUM DIURNALI ATQUE MISSALE CISTERCIENSE

Stams, 3. Viertel 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265

Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Transgrediens abram ad montem qui erat contra orientem
bethel tetendit ibi tabernaculum suum ab occidente habens
bethel, et ab oriente ay. Edificauit quoque ibi altare domino et
inuocauit nomen eius. Perrexit que abram uadens et ultra pro-
grediens ad meridiem. Et facta est fames in terra. Descen-
ditque abram in egyptum ut peregrinaretur ibi. Preualue-
rat enim fames in terra. R. Angelus domini uocauit abra-
ham dicens. Ne extendas manum tuam super puerum, noui quod time-
as dominum. V. Cumque extendisset manum ut immolaret
filium, ecce angelus domini clamauit dicens. Ne extendas. S. lucam.
In illo tempore. Assumpsit ihesus duodecim discipulos suos et
ait illis. Ecce ascendimus ierosolimam et consummabuntur
omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. Et reliqua. Omelia
Redemptor noster preuidens ex passione. beati gregorii pape.
sua discipulorum animos perturbandos, eis longe ante
eiusdem passionis penam et resurrectionis gloriam predicit,
ut cum morientem sicut predictum est cernerent, etiam resur-
recturum non dubitarent. R. Deus domini mei abraham
dirige uiam meam. Ut cum salute reuertar in domum domini mei.
V. Obsecro domine fac misericordiam cum seruo tuo. Ut cum salute. lectio. x.
Quia carnales adhuc discipuli nullo modo ualebant ca-
pere uerba misterii, uenitur ad miraculum. Ante eorum oculos
cecus lumen recepit, ut qui celestis misterii uerba caperent, eos ad
fidem celestia facta solidarent. R. Veni hodie ad fontem
aque et oraui dicens domine deus abraham. Tu prosperum fe-
cisti desiderium meum. V. Igitur puella cui dixero da mihi aque de ydria
tua ut bibam, et illa dixerit bibe domine et camelis tuis potum
tribuam, ipsa est quam preparasti domine filio domini mei. Tu pros. lectio. xi.
Miracula domini et saluatoris nostri sic accipienda